

endum venerant. Sic enim legimus, quod in obsidionem ejus miserat rex Syriae exercitum suum, cognito quod Helisaeus esset, qui consiliis et argumentationibus ejus obviaret omnibus. Quem videns exercitum Giezi servus Prophetae, de salutis periculo trepidare coepit. Cui dixit Propheta: Noli timere, quoniam plures nobiscum sunt, quam cum illis. Et rogante Propheta ut aperirentur oculi servo suo, aperti sunt. Videt itaque Giezi totum montem equis repletum et curribus in circuitu Helisaei. Quibus descendentibus ait Propheta: Percutiat Dominus caecitate exercitum Syriae. Quo impetrato, dixit ad Syrios: Venite post me, et ducam vos hominem, quem quaeritis. Et viderunt Helisaeum, quem corripere gestiebant: et videntes, tenere non poterant. Liquet igitur etiam in bello fidem et justitiam servari oportere, nec illud decorum esse posse, si violetur fides. Denique etiam adversarios molli veteres appellatione nominabant, ut peregrinos vocarent. Hostes enim antiquo ritu peregrini dicebantur. Quod aequè etiam ipsum de nostris assumptum dicere possumus. Adversarios enim suos Hebraei Allophylos, hoc est, alienigenas, latino appellabant vocabulo. Denique in libro Regnorum primo sic legimus: Et factum est in diebus illis, convenerunt alienigenae in pugnam ad Israël.¹⁾ Fundamentum ergo est justitiae fides. Justorum enim corda meditantur fidem: et qui se justus accusat, justitiam supra fidem collocat. Nam tunc justitia ejus apparet, si vera fateatur. Denique et Dominus per Esaiam: Ecce, inquit, mitto lapidem in fundamentum Sion,²⁾ id est, Christum, in fundamentum Ecclesiae. Fides enim omnium, Christus. Ecclesia autem quaedam forma justitiae est. Commune jus omnium: in commune orat, in commune operatur, in commune tentatur. Denique qui se ipsum sibi abnegat, ipse justus, ipse dignus Christo est. Ideo et Paulus fundamentum

1) 1 Reg. 4. 2) Isai 28.